

quoque reliquorum annuali pensione et totali Sclavorum et Praedauciorum ab eisdem separatione et ad Regnum etiam applicatione tractetur; Et in eum finem mandata sufficientia per suam Majestatem et Instructio praesenti Articulo conformis ad utrosque Commissarios jam statim benigne concedantur.

§. 2. Pro ejus quidem Commissionis effectuatione, ex parte quidem Regni et Sacrae Coronae; Illustrissimus Dominus Comes Nicolaus a Zrinio, illorum Regnorum Banus pro Praeside; et alii priores Commissarii in Art. 46. Anni 1647. declarati (non obstante unius vel alterius absentia, loco quorum idem Dominus Banus alios subrogare possit) denominantur:

§. 3. Ex parte vero Interioris Austriae per suam Sacratissimam Majestatem certi Domini Commissarii denominati sunt: Tali declaratione mediante; Quod, si quae in praemissis praetextu Territoriorum, in indubitate Regni terminis existentium, difficultates emergerent; earum Adjudicatio inter partes Domino Praesidi, velut Justitiario illius Regni et reliquis indigenis Commissariis (adhibitis etiam, si ita rei meritum postulaverit, Tabulae quoque Banalis Assessoribus et aliis Juris patrii peritis Regnicolis, qui ad manus haberi poterunt) Resignatio vero Dominis Interioris Austriae Commissariis incumbat. *)

De Commissione generali pro incorporatione Valachorum ac aliorum; Alternata collatione officiorum militarium; ac reliquarum difficultatum complanatione; instituenda.

A r t i c u l u s 31.

Ex communi praeterea universorum Statuum et Ordinum suffragio et benigno suae Majestatis consensu conclusum est; ut postmodum usque ad Diaetam Regni proxime futuram, Viennae, vel ubi sua Majestas, DEO Duce, constituta fuerit, in termino per suam Majestatem denominando, de generali quoque et plenaria Valachorum et Praedauciorum, Sclavorumque sub potestate Dominorum Capitanorum in Sclavonicis et Croaticis Confiniis remanentium, ad Sacram Regni Coronam et Regnum, juxta Articulos et Diplomata incorporatione: Officiorum militarium aequali, vel adminus alternata collatione; Justitia invicem celebranda; mutuaque pace et unione inter Regnum illud et vicinas Provincias conservanda et aliis universis, si quae restarent, difficultatibus; una Generalis Commissione instituatur:

§. 1. Ibidemque inter Commissarios ex illo Regno, cum plenis mandatis destinandos ab una, parte vero ab altera Commissarios Interioris Austriae, similiter cum pleno mandato deputandos et illuc ad Mandatum suae Majestatis convocandos; universae ejusmodi difficultates tractentur et finaliter complanentur.

*) Urgetur; An. 1655. a. 67.